

essentiam possibilem & qui non habet existentiam actu, nec existentiam actu habet. hæc de materia prima.

SECTION III.

De forma substantiali aristotelica, si daretur, quid dicendum esset.

VArijs modis sumi solet hoc nomen forma, tam apud theologos quam apud philosophos, videlicet aliquando pro re omnino completa, ac per se subsistente, & hoc modo etiam Deus, & Angeli vocantur formæ [scelus imperfectionibus nēpè.] alio modo pro forma assistente, quomodo aliqui dicunt esse intelligentias respectu cælorum, quatenus videlicet illorum sunt motrices (quod fabulosum esse existimo,) cæli namque a virtute sua intrinseca mouentur, vt cum de cælo ostendam, tertio ideas exemplares formas aliqui alij vocant; alij accidentia, etiam formas vocant, & isti non distant a veritate, si in vero sensu nomen formæ accipiant. quarto, vocant formam partem illam, quæ cum materia aristotelica vnum per se compositum substantiale componit, de qua breuitate qua potero, hic fac iam discursum, supponendo semper quod talis materia & forma aristotelica dentur, aliàs a me negatæ in sensu peripatetico; verum vnum est, quod nec Plato, nec Aristoteles formam secundum suam naturam cognouerunt, quia Plato vocauit illam speciem, aliquando actum, aliquando terminum, in alio tempore pulchrum, diuinum exemplar aptissimum, quæ nomina si conueniant creaturæ, iudicio prudentum relinquo. ne ergo in vanum laborem deperdam, ad explicationem naturæ formæ aristotelicæ deuenio, si talis, qualis ipse dicit, daretur in natura.

SVBSECTIO I.

An sit forma substantialis aristotelica, & quid sit, si datur in rerum natura.

Quoad primam partem quæstionis, videtur datam esse resolutionem in antecedentibus, nempe quæst. 3. sect. 1. subsect.